



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Nec non in Hospitum, &c.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

eadem domo) si enim habitent in alia, nec proprie, nec improprie sunt de familia.

An sicut concedimus omnes, dominum solum sine familia posse sibi celebrari facere, ita concedendum sit posse quemlibet ex familiaribus, sine praesentia domini, dicam n. 40.

Nec non in Hospitum tuorum Nobilium praesentia.

32. Hanc clausulam in omnibus ejusmodi Brevibus non lego, Vbi igitur adest, conceditur privilegium audiendi Missam, & satisfaciendi praeccepto diei festivi, tum ipsi hospiti, tum ejus famulis ipsum forte comitantibus, idque ob regulam connexorum, & ob extensionem privilegij favorabilis: non enim esset amplius favor, si dominus ob audiendam Missam a famulis esse desereretur. Nobilis, inquam, nec necessario, ex genere nobili procreatus, ut ex supradictis n. 5. colligi potest.

33. Extendit idem privilegium Pellizzarius, ibid. q. 13. ad hospitem unius dici, hoc est, ad nobilem, qui ad prandium invitaretur pro uno solo die, quia adhuc hospes est censendus in materia hac favorabili. Immo id affirmat etiam si de industria talis vir nobilis invitaretur ad prandium ad finem ut frui tali Privilegio posset, quia haec non esset fraus, sed solum reddere habilem illum hospitem ad fruendum indulto, sicuti habilis redditur ad comedendas carnes is, qui exiens a loco, ubi est jejunium de praeccepto, se confert ad locum, ubi tale praecceptum non adest.

Volumus autem, quod familiares servitii tuis non necessarij ibidem Missa interefferent ab obligatione audiendi Missam in Ecclesia diebus festis de praeccepto minime liberi censantur.

43. Alij ergo non satisfaciunt, quia clare excluduntur a Pontifice. Quare non est excipiendus Homobonus de exam. Ec. qu. 14. tr. 8. c. 5. p. 2. contrarium sentiens, ductus ea ratione, quod jam est consuetudo audiendi Missam extra Parochiam, unde nec ab Episcopo possint Fideles nunc cogi ad illam audiendam in Parochia: non est, inquam, excipiens, quia nunquam introducta est consuetudo audiendi Missam in loco a Summo Pontifice prohibito.

35. Scio etiam Pellizzarium tom. 2. Man. Reg. tr. 8. c. 2. sec. 2. subsec. 2. q. 14. contra me sentire, & asserere auctoritatem Castropalai tr. 12. de Euchar. Sacrificio, d. unica pag. 16. num. 13. in simili, & insuper docere prohibitionem hujus Brevis ibi positam. Volumus ut ab obligatione, audiendi Missam minime liberi censantur, ponit ex stylo curiae, quia fortasse alicubi non est abrogatus ritus antiquus, quo Missa in propria Parochia audienda erat: at in nostris Regionibus ubi jam ille ritus est abrogatus, hanc clausulam perinde se habere, ac si non fuisset apposta.

36. Sed certe in ejus sententia pedibus ire non possum, quia magnam mihi vim facit dicta prohibitio tam expressa, & absoluta Pontificis; Quare puto quod ipse dum dicit *Volumus &c.* satis clare praecipiat, ut qui non est ex privilegiatis, satisfacere obligetur in Ecclesia, & non alibi. Ufus ergo audiendi Missam in Parochia quomodocumque abrogatus induci hic minime potest pro sententia nobis contraria, quia excludens Pontifex Oratorium privatum a loco apto ad satisfaciendum praeccepto, consequenter inducit praecceptum audiendi Missam in quidem in Parochia, cum id sit abrogatum, sed inducit praecceptum audiendi in loco publico, qui non sit Oratorium illud, quod Pontifex exclusum omnino vult. Fac esse usum jejunare die Dominico, incidente eo die vigilia de praeccepto, velle tamen nunc Summum Pontificem eum usum de medio tollere & praecipere, ut in eo casu jejunetur in Sabbato. Si sic praeciperet. *Volumus ut per jejunium die Dominico factum non satisfaciatur praeccepto jejunij, sed sit obligatio jejunandi in Sabbato:* inquiri, qui jejunaret die Dominico satisfaceretne praeccepto? enim vero non satisfaceret, quia eo ipso quod Pontifex excludit illum diem, reddit illum ineptum ad satisfactionem praeccepti, addicit enim praecceptum

ad alterum diem: Pari igitur modo dum ad id Oratorium, reddit illum ineptum pro satisfactione praeccepti de audienda Missa, addicit etiam illud ad locum, & consequenter remanet in Fidei obsequio audiendi.

De Privilegio Bullae Cruciae circa praesentia Oratoria privata.

37. **D**abitur hic merito aliquis cum in concessione Oratorij privati caveatur ne una Missa ibidem celebretur in feriis; in festis solemnioribus ne una quidem, possint ab illa Bulla Cruciae sine talibus restrictionibus plures celebrari? Respondeo posse tum in proprio in alieno quantumcumque privato Oratorio. Bardi in explicat. Bullae Cruc. p. 2. tract. 2. cap. 6. §. 23. Favent Rodriq. in addit. ad §. 5. num. 4. Luce in exp. Bullae d. p. cap. 5. d. 1. num. 3. Egid. Talam. in exp. Bull. lib. 1. §. 3. num. 4. Ratio est, quia in Bulla Cruciae concedit absolute, & nulla exceptione, ut in privato Oratorio rite approbato, tur etiam tempore interdicti. Ex qua forma concluduntur duo argumenta. Primum notando illam quae particula, si perpendantur ea quae de exceptione docet Barbosa disp. 95. in Impr. Romana lege Cal. tract. de Bulla Cruc. disp. unic. p. 6. a num. 1. citant. noch. Zabarella, Decium facit hunc sensum, solum conceditur ut possit celebrari in ceteris, indifferenter, atque adeo in feriis, & festis quibuslibet quod est minus, sed etiam in tempore Interdicti, est majus. Secundum, quia si Pontifex per Bullam concedit absolute, & sine ulla temporis, vel, ministeria, non possumus nos, posita Oratorij approbatione, id restringere: nam licet in dicti Oratorij approbatione restrictio apponatur, tollitur tamen per eam absolutam, nec ulla limitatione restrictio in Bulla. Exemplum est de Parocho, et Talam. ibidem; is enim quamvis ex vi suae approbationis possit suas oves absolvere, at supposita hac sua approbatione, si ab habente Bullam eligent populum alienum, non ex vi suae approbationis, sed hac approbatione, ex vi concessionis per Bullam. Ita in oratorio approbato, ex vi talis limitatae approbationis, non potest nisi limitate celebrari? at, hac posita, Pontifex Bullam illimitate concedit.

38. Concedit ergo Bulla posse in dicto, quantum imitato Oratorio. Primum celebrari, in dictis solemnioribus & festis. Secundum, posse plures & plures Missas in dictis festis celebrari, & in quibuscumque diebus. Tertium, capi posse ibidem Eucharistiam omnibus diebus post diem Paschae, hoc est, praeter unam communem tempore Paschali in parochia exhibendam: Quae ibidem satisfieri posse praeccepto de audiendo Sacramentum haec omnia posse & cum, qui habet Bullam, & familiares, ac domesticos, & consanguineos habentibus Bullam quae omnia patent ex tenore Bullae, & spem citant doctores citati.

39. Et in hoc ultimo notes pervelim illud, familiares domesticos consanguineos, cum in Brevis Oratoria habeatur, in Tua & familia tua, & hospitibus nobis praesentibus. Consanguineos ergo, & Domesticos si comprehendit praeter Familiares: Bulla et quosnam comprehendit? Nominem consanguineorum comprehendit cognationem habentibus Bullam, id est, tam descendentes & ascendentes quam collaterales usque ad quartum gradum, quia omnes dicuntur consanguinei; merito dicit Castrop. de Bull. Cruc. p. 6. num. 8. Lezana tom. 3. p. 7. Bullae Cruciae, n. 14. Rodriq. in exp. Bull. §. 5. n. 5. Lud. a Cruce in exp. Bullae d. 1. cap. 5. d. 8. Nominem autem Domesticorum comprehendit puto omnes de quibus dixi nam. 31. quorum quidem alicui ibi large, seu reductivè venimus nomine Familiarium, hic clare; & expresse sunt, & cantur domestici, hoc est in eadem domo viventes, & nique familiares iidem sunt qui nomine Familiarium sunt supra n. 28.